Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38233
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

operari patientib; Paruis enim laborib; magna reddit merces. & pro
leui tribulatione supra modum sublimitas gloriae pensabitur. propter quod non
contemplantes quae uidentur sed quae non uidentur; Quae enim uidentur temporalia sunt
quae uero non cernuntur aeterna sunt. Desiderium caelestium & spiritalium habentes
haec praesentia & terrena spernere profitetur. Quia ad conparationem spiri
talium haec nulla sunt. Sic enim sunt haec ad superna quomodo figura depe
rit ueritas manet. Ac per hoc de saeculo isto exire non metuunt sed gaudent.
Scimus autem quia si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur Ca. 5.
quia aedificationem ex deo habemus domum non manu factam aeternam in
caelis; Hac fiducia dicit si tamen dum dissolui de corpore uiolentia in
fidelium aut extorte uitae. quia praeparata est huiusmodi hominib; ha
bitatio in caelis aeterna; Ut de temporali & terrena expulsi in perpetuum
domum recipiantur; Unde hoc & optandum est si fieri potest. sed quia
optandum non est ne inuia gloria alius pereat. si tamen acciderit libenter feren
dum est. Terrestrem enim domum carnem hanc dicit qui mortalis est. ut si de hac
dissoluti fuerimus. aedificatam inueniamus in caelo domum aeternam; Haec domus
corpus inmortale significat. in quo resurgentes semper erimus cuius forma
iam in caelo est. in domini corpore declarata; Etenim in hoc ingemescimus habitacu
lum nostrum quod de caelo est superindui cupientes. siquidem induti non nudi inue
niamur. Propterea dicit in precib; ingemesci ut gloria promissa decorati possint
resurgentes induere. Hoc ergo desiderantes insistunt precib; ne resurgentes
recepto utique corpore nudi id est alieni a promissa gloria inueniantur; Hoc
enim opus est ut induta anima corpore dei iudicio superinduatur & gloria quae
est inmutatio in claritate; Mors enim de terra est. resurrectio uero de caelo. si tamen
inmutetur in gloriam; Alii codices sic habent. siquidem spoliati non nudi
inueniamur; Id est si exeuntes de corpore. christum uestiti fuerimus; Quia qui
cumque in christo baptizantur. christum induunt; Itaque si in forma baptismi & tra
ditione manserimus. spoliati corpore non nudi inueniemur. quia in interiore
homine habitat christus. quem cum induta sit uel spiritu sancto dato nobis uidebimur. erimus
digni superindui promissa caelesti gloria; In illum enim decidit promissa claritas